

in illis verbis canonis: « Unde et memores, Domine, nos servi tui, etc. offerimus præclaræ majestati tuæ, etc. » Sacrificium autem debet offerri in persona Christi, qui est principalis sacerdos. Unde etiam colligitur, non posse hoc sacrificium constitui in quacumque actione quæ fiat post consecrationem circa corpus Christi; tum, quia non est verisimile quod Christus Deus in designando sacrificio novæ legis, quod excellentissimum est, non determinaverit actionem per quam fieret, cum tamen in antiquis sacrificiis designandis ita minutim explicaverit Scriptura quomodo et quibus actionibus essent facienda, ut patet in toto Levitico.

XXXVII. Tum etiam, quia multæ ex istis actionibus fiunt in persona Ecclesiæ, non Christi, ut oblatio verbalis, elevatio hostiæ et calicis, etc. Multæ etiam se habent per modum cæremoniæ accidentaliter; tum denique, quia multæ ex istis actionibus non repræsentant mystice oblationem factam in cruce; oportet autem hoc sacrificium esse idem quod in cruce oblatum est, sola ratione sacrificandi diversum, ut inquit Concilium ubi supra; unde incongruenter affertur exemplum de ultima unitate numeri, aut de superficie ambiente in loco, quia ibi quælibet unitas, et quælibet superficies eodem modo se habent, et per accidens est quod sit ista vel illa; in præsentem autem actiones quæ fiunt post consecrationem, non eodem modo versantur circa corpus Christi: aliter enim se habet fractio hostiæ, aliter oblatio vocalis, aliter elevatio calicis et hostiæ; ergo non æque potest quæcumque illarum hanc immolationem consummare.

XXXVIII. Inter actiones ergo quas exercuit Christus Dominus constat de tribus, scilicet benedictione, fractione, et sumptione sua, et commu-

nicatione ad alios, juxta quod narant evangelistæ, et Paulus dicit I ad Corinth. XI: *Quod accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, etc.* illa autem benedictio si antecessit consecrationem, ut aliqui sentiunt, non potuit esse sacrificativa actio, quia nondum versabatur circa corpus et sanguinem Christi, tamquam circa rem oblatam; si autem fuit ipsa consecratio, ut S. Thomas et plures sentiunt, idem erit dicere talem benedictionem esse actionem sacrificativam, atque ipsam consecrationem, de quo statim; sicut etiam dicemus de sumptione, quam constat Christum Dominum exercuisse. De fractione non possumus dicere quod in illa consistat sacrificium; tum, quia fractio ista solum fit circa panem, actio autem sacrificativa debet complecti utramque speciem, quia facit sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quod consistit in prolatione panis et vini; tum, quia fractio solum est quædam præparatio ad sumptionem; frangitur enim ut possit convenienter sumi, et distribui panis; tum, quia si fractio omittatur, non manebit imperfectum sacrificium quantum ad valorem, ut docet S. Thomas quæst. LXXXIII, art. VI ad sextum, et constat si casu hostia ante fractionem caderet in calicem: tunc enim convenienter non posset frangi, et sic deberet relinqui usque ad sumptionem: ergo fractio non est essentialiter ipsa sacrificatio: et eodem modo distributio ad alios, quam mediante fractione Christus fecit, non pertinet ad essentialem rationem sacrificii, quia potest salvari sacrificium missæ vere et licite, sine hoc quod populus communicet, ut docet Concilium Tridentinum sess. XXII, cap. VI, et can. VIII; tum, quia distributio ista supponit sacrificium jam peractum, et rem oblatam, si

quidem illa communicatio est participatio de ipso sacrificio, juxta quod dicit Paulus I ad Corinth. X: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Ergo. Item illa distributio potest fieri a non sacerdote (scilicet, a diacono pro aliquo casu, saltem distributio sanguinis) distributio autem solius panis fit quidem a sacerdote, sed non tangit utramque speciem, sicut requiritur ad sacrificium.

XXXIX. Restat ergo tota controversia inter consecrationem utriusque speciei, et sumptionem prout fit a sacerdote, quæ etiam utramque speciem includit; et in consecratione est difficultas, quomodo per illam fiat sacrificium, cum potius fiat materia sacrificanda, scilicet ipsum corpus Christi; oblatio autem sacrificativa supponit materiam sacrificandam, non constituit, quia illam immutat, et immolat Deo; res autem quæ hic offertur, est ipsum corpus Christi, ut sæpe dictum est. In sumptione autem est difficultas, quia id quod sumitur est participatio rei oblatæ Deo et sacrificatæ, juxta dictum Pauli citatum: *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Nomine altaris intelligendum oblatam in altari. Similiter sumptio non est actio facta in persona Christi, sed in persona ipsius sumentis, et pro suo beneficio; sacrificium autem hoc fit in persona Christi, qui est ipse principalis offerens et sacerdos.

XL. Ex his ergo concludo resolutionem nostram, et dico, essentialem rationem sacrificii consistere in consecratione, non absolute, sed prout separativa sanguinis a corpore sacramentaliter et mystice, et ita essentialiter requirit consecrationem utriusque speciei: alia vero actiones (præsertim sumptio) possunt pertinere de connotato et in obliquo, vel saltem ad integritatem

sacrificii, quia ad hoc ordinatur sacrificium, ut participetur et sumatur. Declaratur conclusio sic: Quia cum hoc sacrificium sit idem quod in cruce oblatum est, sola ratione seu modo sacrificandi differens, ut ex Tridentino dictum est, et similiter hoc sacrificium fiat a sacerdote in persona Christi, ita quod Christus sit principalis offerens, sacerdotes autem solum sunt ministri et instrumentales causæ ipsius; illa actio essentialiter constituit sacrificium, in qua per se et essentialiter concurrunt istæ conditiones; ita quod maxime et propriissime repræsentet effusionem sanguinis Christi, quæ cruenta facta est in cruce, sacramentaliter autem et mystice in hac sacramentali separatione, et similiter per se et essentialiter fit in persona Christi; hoc autem non reperitur in alia actione, quam in consecratione sic considerata; non enim in sumptione: ergo, etc.

XLI. De aliis actionibus constat, ut jam diximus; de sumptione probatur ex dictis; tum, quia sumptio utriusque speciei supponit factam istam separationem mysticam et sacramentalem, quia supponit consecratam utramque speciem, et consequenter sanguinem separatam a corpore ex vi verborum et sacramentaliter: ergo antecedenter ad sumptionem invenitur totum quod requiritur, ut hoc sacrificium sit idem quod oblatum est in cruce, sola ratione sacrificandi diversum, nam in cruce oblatum est sacrificium per separationem realem sanguinis Christi a corpore; ergo illa actio quæ separat mystice et sacramentaliter istum sanguinem, est idem sacrificium quod in cruce, solum differens in modo, quia hic sacramentaliter, ibi realiter. Nihil autem amplius requirit Concilium ad rationem hujus sacrificii. Similiter sumptio non fit in persona Christi,

quia sumptio est participatio de fructu sacrificii, et in proprium beneficium ordinata; per illam enim sacerdos et populus junguntur ipsi Christo, et participant ipsum: ergo talis actio non fit in persona ipsius Christi, sed ipsorum communicantium. Actio autem sacrificandi fit in persona Christi, quia ipse est principalis offerens, sacerdos autem solum ministerialis: consecratio autem fit in persona Christi, quia illa verba: *Hoc est corpus meum*, non possunt verificari in persona sacerdotis, sed Christi: fit etiam consecratio ista in utraque specie, panis et vini, et consequenter secundum ordinem Melchisedech; ergo ex omni parte concurrunt in consecratione sic considerata tota essentia sacrificii eucharistici, prout est idem quod in cruce oblatum est. Denique sumptio, etiam utriusque speciei, potest fieri a non sacerdote, ut quando laici communicabant sub utraque specie; quod etiam nunc possent, si Ecclesia concederet: ergo illa actio sumendi præcise non est sacrificatio, quia hæc actio debet esse talis, quod a solo sacerdote fieri possit, cum sint reciproca, ut sæpe diximus, sacerdotium et sacrificium, seu relativa.

XLII. Ex quibus constat actionem istam ut separativam sanguinis a corpore, per se et essentialiter habere omnia, quæ ad hoc sacrificium componendum concurrunt; et esse immolationem Christi mysticam, quatenus modo sacramentali seorsum ponit sanguinem a corpore, sicut in cruce realiter separatus est; similiter supponit materiam sacrificabilem (scilicet ipsum corpus Christi) quia prius ponitur corpus sub specie panis, deinde sanguis sub specie vini; et prius intelligitur actio illa ut conversiva absolute in corpus et sanguinem Christi, quam separativa sanguinis ex vi verbo-

rum; ergo sufficienter salvatur positio corporis Christi, ut super ipsum cadat effusio mystica sanguinis, id est, separatio sanguinis sacramentalis ex vi verborum; ergo ipsa consecratio ut immolativa, et separativa sanguinis supponit corpus. Quod si inverteretur ordo, et prius aliquis consecraret calicem quam panem, esset nihilominus verum sacrificium, quia semper esset separatio sanguinis a corpore, si prius consecraretur panis; vel corporis a sanguine, si prius sanguis consecraretur. Et sic semper supponeretur res et materia oblata ex parte Christi, separando unum ab alio; licet magis ordinato modo fiat consecrando prius panem, et deinde calicem, ut videatur separari sanguis a corpore, quam e converso separando corpus a sanguine; licet utroque modo fiat substantialiter sacrificium.

XLIII. De mente S. Thomæ paucis dicimus. Existimo ipsum plane sentire sacrificium hoc essentialiter perfici consecratione. Nam supra quæst. LXXXII, art. IV ad primum inquit: « Quod consecratio christi, vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio eucharistiæ: » et in articulo X dicit: « Sacerdotes teneri ad sacrificandum, non solum propter ministranda sacramenta populo, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui in consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur: » et solutione ad primum inquit: « Hoc sacramentum perficitur in consecratione eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur: » deinde in hac quæstione LXIII, art. I dicit: « Quod celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. » Constat autem hoc sacramentum celebrari quando consecratur, non quando sumitur: ergo. Ac denique articulo quarto singulas actiones

missæ commemorans, inquit: « Deinde accedit sacerdos ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit: Quam oblationem, etc. secundo, consecrationem peragit per verba salvatoris: tertio, excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: Unde et memores, etc. quarto, petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit: Supra quæ propitio, etc. » Sentit ergo S. Thomas, quod cum sacerdos dicit illa verba, jam sacrificium est peractum, quod utique ante summptionem dicit, immediate post calicis elevationem verbalem, qua dicit: Offerimus præclaræ majestati tuæ, etc. sed constat in elevatione calicis, et in illa verbali oblatione non fieri sacrificium, quia non sunt actiones factæ a Christo, nec fiunt in ejus persona, sed in persona Ecclesiæ, tamquam cæremonia accidentalis: ergo intelligit in consecratione peractum esse sacrificium.

XLIV. Omitto plures auctoritates patrum, quia licet frequenter dicant immolari sacrificium in altari, non tamen ita minutim explicant qua actione in particulari peragatur essentialiter ipsum sacrificium; unde non facimus in illis multam vim.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLV. Objicies quod jam supra tetigimus: Quia immolatio sacrificii debet præsupponere victimam, seu hostiam sacrificandam, ita quod semper distinguitur præparatio seu productio victimæ ab ejus immolatione. Corpus autem Christi est res immolata in hoc sacrificio: consecratio autem ponit et constituit corpus Christi in hoc sacramento: ergo non est immolatio ipsius; et sic differunt specificè consecrare, et offerre

rem consecratam; actio autem sacrificativa essentialiter est oblatio.

XLVI. Confirmatur primo, quia consecratio est invisibilis, cum ponat hic Christum invisibiliter, non autem immutat eum modo sensibili; sacrificium autem debet esse visibile: ergo fit per oblationem visibilem: ergo non consistit in ipsa consecratione. Unde Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. I, et can. II dicit, tradi in sacerdotio potestatem consecrandi, et offerendi corpus et sanguinem Christi: ergo alia est actio consecrare, alia offerre; alias frustra eas distingueret Concilium.

XLVII. Confirmatur secundo, quia in una sola specie potest fieri sacrificium, ut patet in die parasceves, in quo non consecratur calix, et tamen offertur Deo sacrificium, et fit missa; tenentur enim fideles illam audire, si dies festus in tali die venerit: ergo falso dicimus in oblatione utriusque speciei consistere sacrificium. Quo argumento utitur magister Nugno ubi supra; et generaliter tam illa actio, quæ tunc fit, quam etiam aliæ actiones, quæ nunc fiunt post consecrationem, sunt actiones religiosæ; ergo falso dicimus in oblatione utriusque speciei consistere sacrificium. Denique confirmatur, quia si in consecratione fieret sacrificium, cum ipsa consecratione applicarentur fructus illius, cum tamen constet post consecrationem applicari defunctis in secundo memento, ergo signum est post illud fieri sacrificium; nullus enim sacerdos intendit in ipsa consecratione applicare fructum sacrificii, vel offerre illud.

XLVIII. Ad primum respondetur ex dictis, nullum esse inconveniens eandem actionem secundum diversas formalitates esse consecrationem et oblationem, cum ipse S. Thomas dicat verbis supra relatis, in ipsa consecratione offerri Deo

sacrificium, et ipsa celebratione sacramenti fieri immolationem Christi, quatenus fit repræsentatio passionis ejus; sic ergo eadem actio est præparativa et factiva victimæ quatenus est physica et realis conversio substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Est autem oblatio et sacrificatio, quatenus est talis actio sacramentalis, separans ex vi verborum mystice sanguinem a corpore, ut repræsentant effusionem cruentam crucis, quæ sunt formalitates valde distinctæ, et de potentia absoluta possent separari, quia bene posset converti panis in corpus Christi sine conversione sanguinis seorsum a corpore. Imo de facto potest sacerdos solum consecrare panem, et non calicem; quo casu non offerret sacrificium, ut supra diximus. Quando ergo utrumque fit eadem actione, non repugnat simul esse consecrationem, quæ præparet et faciat victimam, constituendo hic corpus Christi, et simul sit immolativa et oblativa ipsius, separando mystice sanguinem a corpore.

XLIX. Ad primam confirmationem respondetur, consecrationem esse invisibilem ratione virtutis et effectus, quem facit physice; sacramentaliter tamen esse visibilem ratione verborum quibus fit, et specierum in quibus fit, sicut aliæ actiones quæ fiunt circa corpus Christi invisibile, et in quibus constituitur ratio sacrificii, redduntur sensibiles ratione specierum. Ad locum Concilii Tridentini dicitur dari potestatem sacerdotibus ad consecrandum et offerendum, non tamen ut id faciant distinctis actionibus, sed una habente omnes illas formalitates. Et præterea non repugnat a sacerdote separari istas actiones, ut si consecraret unam tantum speciem; tunc enim valide consecrat illam, et tamen non offert sacrificium, quia

hoc requirit utramque speciem, ut sit sacrificium secundum ordinem Melchisedech.

L. Ad secundam confirmationem negatur in die parasceves fieri sacrificium, aut illam cæremoniam, quæ tunc fit, esse missam, ut supra disputatione secunda ostendimus; nec tenentur fideles audire illam, si sit dies festus, ut constat ex declaratione congregationis cardinalium sacrorum rituum, quam ibi retulimus; et magister Nugno non potuit illam videre, quia post ejus mortem facta est. Imo inde nos confirmamur in nostra sententia, quia illa cæremonia non est missa, et tamen sumitur ibi una species; ergo sacrificium non consistit in oblatione, vel sumptione unius speciei. Fit autem illa cæremonia a solo sacerdote; tum, propter repræsentationem ipsius Christi patientis; tum, quia debet tangere immediate ipsum corpus Christi, quod solum pertinet ad sacerdotem. Quod autem sit cæremonia religiosa illa vel aliæ quæ fiunt post consecrationem, non sequitur quod sint sacrificium, quia hoc solum potest constitui in ea actione, quam Christus instituit, ut repræsentaret suam passionem, non in alia actione, etiamsi religiosa sit.

LI. Ad ultimum respondetur, non esse necessarium quod effectus sacrificii conferatur quando fit, sed toto tempore quo durat sacrificium est locus applicandi fructum illius. Et ut advertit S. Thomas hic quæstione LXXXIII, art. IV, post consecrationem petit sacerdos ipsius sacrificii et sacramenti effectum quantum ad ipsos sumentes, et quantum ad mortuos, et quantum ad ipsos sacerdotes offerentes: et similiter pro vivis offert sacerdos ante consecrationem, et tamen non applicatur fructus sacrificii nisi post consecrationem ex priori intentione. Fructus ergo sacrificii non confertur so-

lum in illo instanti, quo fit sacrificium, sed juxta applicationem sacerdotis toto tempore quo durat.

ARTICULUS III.

De valore et applicatione sacrificii hujus.

PRIMO QUÆRITUR, AN SACRIFICIUM ISTUD HABEAT VALOREM IMPETRATIVUM ET PROPITIATORIUM PRO PECCATIS.

I. Respondetur affirmative. Est de fide definita in Concilio Tridentino sess. XXII, cap. II, et can. III, ubi definitur offerri et prodesse hoc sacrificium pro fidelium peccatis, pœnis et satisfactionibus, et aliis necessitatibus; et pro defunctis nondum in Christo plene purgatis. Et ratio sumitur ex eo, quia hoc sacrificium non est minoris efficaciam, quam sacrificia antiquæ legis, si quidem sacerdotium antiquum erat imperfectius, et ad illius consumptionem necesse fuit surgere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ut argumentatur Apostolus ad Hebr. VII; ergo etiam sacrificium secundum ordinem Melchisedech est perfectius; sed sacrificia antiqua proderant pro peccatis vivorum et mortuorum; nam pro vivis constat præcipue ex capite IV et V Levitici, ubi ponitur ritus sacrificiorum, pro quibus dicitur dimitti hominibus peccata, vel propitiari Deum: pro defunctis autem constat ex secundo Macchabæorum XII, ubi dicitur Judam misisse Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: ergo a fortiori nostrum sacrificium valet pro vivis et defunctis.

II. Constat secundo ex traditione Ecclesiæ, in qua sacerdotibus datur

potestas in eorum ordinatione ad offerendum sacrificium pro vivis et defunctis: et ex communi usu fidelium, qui hoc sacrificium offerri faciunt pro vivis et defunctis; et ex ipsis orationibus Ecclesiæ, quas recitat in missis pro quibuscumque necessitatibus tam vivorum, quam defunctorum.

SECUNDO INQUIRES, UTRUM HOC SACRIFICIUM HABEAT ALIQUEM EFFECTUM EX OPERE OPERATO, VEL SOLUM EX OPERE OPERANTIS.

III. Respondetur utroque modo habere effectum. Distinguitur autem effectus ex opere operato ab effectu ex opere operantis, quod ille datur intuitu meritorum Christi, et ex institutione ipsius, quia merita sua applicuit tali vel tali operi; effectus autem ex opere operantis datur intuitu proprii meriti facientis opus; et talis valor crescit vel minuitur juxta dispositionem aut valorem ipsius merentis. Dicimus ergo, quod hoc sacrificium, non solum in quantum sacramentum (quod solum prodest ipsi sumentibus) sed etiam in quantum sacrificium, quod offertur pro aliis, habet valorem ex opere operato, seu intuitu meritorum Christi; et etiam ex opere operantis, tam in persona Ecclesiæ, quam sacerdotis. Quod valeat ex opere operato, deducitur ex Concilio Tridentino citata sessione XXII, cap. I, ubi inquit: « Reliquisse Christum Ecclesiæ visibile sacrificium, quo cruentum illud in cruce semel peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, ejusque salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; » sed virtus illa salutaris, quæ in hac oblatione applicatur, est virtus meritorum et satisfactionis